

CONCIO III. AUCTARII.

reta prædonibus ac militibus, et mercatori salvum conductum petenti, aliud nil præter chirothecam suam dederit, pro signo ostendendam, si qui eum invaderent, dicens se damnum omne de suo resarturum, si quid in via a prædonibus patetur. Refert Cæsarius, in ejus vita, apud Sur. 7. nov. Recte angelico vocabulo dictus Engelbertus, quia angelico zelo plenus. Sic purgavit et Michael celum a prædonibus angelis, sic pacavit imperium Otho III. imp. tribus proceribus, bonorum alienorum direptoribus, erundo oculos, teste B. Petro Damiano, epist. I. VII. epist. XI. uti dixi alibi.

II. Superbiā calcando; et quidem tanto magis, quanto quis major est, iuxta id Ecclesiastici III. *Quanto magnus est, humiliā te in omnibus.* Sic enim et Michael, cum esset princeps inter angelos, humilitate preceluit, eaque fastum Luciferi calcavit; quem idcirco pedibus premere pingitur. Ratio est, quia qui magnis donis præditus est, multorum invidiæ obnoxius est; debet igitur se modeste gerere, ut invidiam declinet. Primo, cogitet quis olim fuerit. Indorum gens quedam in regno Moger more receptum habet, ut si quando e tonstrina aliquis in sublimem honorem erigitur, præferat semper instrumenta sua artis. Quod etiam probare visus est Deus, cum Moysi in duem populi electo illam ipsam virgam, quia sacer sui oves prius rexerat, pro sceptro utendam dedit. Æthiopum christianorum antistites non crucem modo, sed et vas aureum terra refertum sibi præferri curabant, ut ei inspecta, vilitatis et mortalitatis sua meminissent, Sabell. I. VIII. Enn. X. Amicus episcopus Aquilæ et cardinalis a Paulo II. creatus, patris imitatione opilio fuit qui, ut in tanta gloria sua humilitatis memor esset, fastumque calcaret, agnum cum libro insignibus sui gerere voluit, Hieron. Carimburtus, lib. II. de vitis pontificum.

Secundo: « Cum augmentur dona, rationes etiam crescent donorum. Tanto ergo humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione, » inquit S. Gregorius, hom. IX. in evangel. Nemo insolexit facile quod multa sibi credita sint, quia multa reddere debet.

Tertio: « Ut in navigiis, qui vacuam habent navim, non metunt piratarum insultum, sed qui onustan habent; sic et diabolus non adeo persequitur peccatorem, sed justum, cui multa sunt opes. Quanto major ergo es, tanto magis submitte te ipsum, » ait S. Chrysostomus, hom. IV. in id Isaiae: *Vidi Dominum.*

Diogenes videns Platonis aulæa et peristroma pedibus ea calcavit. Causam rogatus. Fastum

Platonis calco, inquit. Sic calcet mundi fastum pius Germanus, uti S. Michael calcavit fastum Luciferi.

III. Scandala amovendo et impediendo. Ad hoc præcipit nobis S. Michael, quando resistit diabolo, prodere volenti corpus Moysis, ut pro nomine coleretur ab Hebreis, uti docent communiter interpretes in epistolam Judæ. Hanc enim ob causam videtur Deus voluisse, ut locus sepulcri ejus esset incognitus, Deut. XXXIV. Idem archangelus putatur fuisse, qui obstitit Balaamo, pergenti ad ponendos laqueos Hebreis, filias scilicet Moabitidas; quando stricto gladio ei minatus fuit, Num. XXII. Erat enim Michael præpositus synagogæ, sicut nunc est Ecclesia. Hunc in modum qui bonus Germanus esse vult, scandala non modo non det, sed nec dari ab aliis permittat. Sic egit imprimis Moyses, vitulum aureum, Hebreorum scandalum, confringendo et in cineres redigendo Exod. XXXII. Ezechias: *Confregit serpentem æneum, quem fecerat Moyses; siquidem usque ad illud tempus filii Isræl adolebant ei incensum, ut dicitur IV. Reg. XVIII.* Sensim enim populus pronumine eum amplexus erat. Atque ut nihil omnino divinum in eo fuisse doceret, nomen ei mutavit, et appellavit eum *nohestan*, id est, *æs*: seu ut est in Hebræo, *nechustan*, id est, *ærulum*, ut eodem capite. Addit Eusebius, apud Anatas. Nicenum, sustulisse Ezechiam libros Salomonis de curatione morborum propterea quod inde sumerent morborum medelas, et nihili facerent a Deo petere curationes. Constantinus M. episcoporum quorundam libellos contentiosos (uti notum) combussit, ne perfecti scandalum forent. Carolus M. cum in aula sua quotidie pasceret duodecim pauperes, ad honorem duodecim apostolorum, ubi intellexit Aigolandum Saracenorum principem ad se invitatum, in ipsis scandalizatum, quominus religionem christianam amplectetur, eo quod ipsos humi sedentes et sordide vestitos cerneret; mox sagedit huic quali scandalo occurtere, eosque melius vestivit, ac honestiore loco discumbere voluit, Sabell. I. VIII. Enn. VIII.

Idem faciunt nunc angeli custodes: facientque ultimis temporibus, cum: *De regno Dei colligent omnia scandala*, Matth. XIII. Quis non ambiat imitari angelicum hoc munus?

IV. Maledicentiam cavendo. Cavit certe S. Michael, etiam contra dæmonem in prædicto casu, quando is revelare voluit corpus Moysis. Audite S. Judam de hoc loquentem: *Cum Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemizæ* (hoc est, maledicere, dicendo, verbi gra-

IN FESTO S. MICHAELIS ET ANGELI CUSTODIS.

tia: Vale, maledic Satan: abi, iniquissime, in tartarum); sed dixit: *Imperet tibi Dominus.* Distinxit S. Michael inter naturam dæmonis et malitiam ejus. Natura ex se bona est, quia Dei creatura: ad hanc ergo respexit, unde ei maledicere noluit. Alcon sagittarius videns filium a serpente involutum, arcu arrepto, serpentem interfecit, puero illaso, teste Victore, l. XVI. c. VIII. Item faciant et Germani; abstineant imprecationibus et maledictis; distinguant inter homines et vilia: haec, non illos persecuantur: noverint hominem imaginem Dei formatum; unde qui ipsi maledicit, Deo maledicit.

V. Discordias tollendo et discordes conciliando. Preivit ad hoc S. Michael. Cum enim angelus Persarum et alter angelus Hebreorum præses, Gabriel, amice inter se disceptarent duodecim diebus, quamdiu voluntas Dei nondum eis perspecta fuit, pro Hebreis in captivitate Babylonica detentis, et hic quidem reduci eos vellet, alter vero remanere cuperet, venit Michael, et dirimit controversiam, Dei voluntatem eis expōns, ut reducerentur Hebrei, sicut habetur, Dan. X. Dæmonum est pacem turbare et animos dispergere; angelorum est pacem facere, et animos congregare. Unde: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, Matth. V. Talis inter alios fuit celebri exemplo S. Theodosius conobis; qui cum dissidium duorum fratrum verbis conciliare non posset, supplex ad eorum pedes se abjecit, et tamdiu in terra coram eis jacuit, donec ad pacem redirent, in vita, apud Sur. 11. jan. Sed Germanos videamus. Tigurini duo fortunas suas litigando attriverant. Alter eorum cordatior suam et adversarii dementiam sero tandem perspiciens, armatus cum filio ad ædes adversarii descendit. Is ad vim repellendam cum servo accurrens, causam adventus rogat. Tum ille: Et religione sacrosanta et privatis incommodis adductus, contentionem tanto jam tempore magno utriusque nostrum cum discrimine alitam et conservatam, depositurus adsum. Filium habeo animo probum, manu strenuum: ei filiam tuam bene moratam virginem in connubium deposco; ut his velut obosidibus benevolentia mutua sanciantur. Inexpectata adversarii mansuetudine obstupescens alter, amicis convocatis, filiam suam adversarii filio despondit, sicutque in amicitiam transiit inimicitia, Joan. Paulus, in jocoseriis. Hæc et similis ratio optima et germana foret consiliandi inimicos. Quid? In novo orbe deprehensæ sunt insulæ, inter quas si bellum incidat, honestissimus est et habetur, qui pacem ab hoste roget; alter scelestus et in commune hostis, qui rogalam negat: indignissime etiam

ferunt, si hostes in postulanda pace eos antevertent, ut refert Ludovicus Vives, in epist. ad Joan. episcopum Lincolniensem. Si hoc gentes a fide alieni, quid agant Christiani?

Ergo, auditores: *Si conversi fueritis et efficimini sicut Michael*, vere Germani eritis, et majores in regno celorum.

CONCIO IV.

ASTROLOGIA JUDICIARIA REPROBATORUM.

I. Est temeraria. — II. Est stulta. — III. Est impia. — IV. Est exitiosa. — V. Est odiosa et fraudulenta.

THEMA.

Michael et angeli ejus prælabuntur cum dracone.
Apoc. XII.

Sanctus Joannes, Apoc. XII. recenset executionem perquam funestam Michaelis contra draconem, serpentem antiquum. Causam delicti explicat Isaias, c. XIV. Lucifero dicens: *Dicebas, in corde tuo: In cælum ascendam; super astra Dei exaltabo solium meum; ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo.* Sceleratam hanc vocem indigne ferens Michael exclamat: *Quis ut Deus?* et hoc quasi telo ex Dei mandato dejicit Luciferum in abyssum, factaque est in cœlo pax. Videtur draco ille, seu serpens antiquus, licet jam dejectus, adhuc moliri id quod initio suæ creationis machinatus est; et quis ipse perse non potest, per suos saltē asseclas et servos, super astra velle ascendere, per astrologos judiciarios videlicet; serpens, inquam, ille antiquus, qui in paradiſo parentibus nostris instillavit appetitum scientiæ boni et mali divinæque similitudinis: *Eritis sicut dii.* Verum frustra est, nec tolerat hoc Michael. Quare draco ille debellandus et exturbandus est. Quod antequam fiat, prius ejus delictum examinandum est, tum sententia ferenda. Homines sunt isti astrologi, qui pœnitere et immutari possunt; non angeli. Quare prononamus eis delictum eorum, si forte resipiscant.

I. Luciferi conatus fuit temerarius; ut patet ex ejus voce: *Similis ero Altissimo.* Quanta enim temeritas, cum Deo velle se comparare, ejusque thronum occupare! Temerarius etiam est conatus astrologorum; quia presumunt, scire quæ Dei solius est nosse. Deus enim ex præscientia futurorum contingentium demonstrat suam deitatem, Isa. XLI. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciens quia dii estis vos.* Presumunt scire quæ nec dæmones norunt, qui tamen totum stellarum orbe perambulare et inspicere possunt. Fatetur enim ipse Porphyrius ethnicus,

apud Euseb. I. VI. de præparat. evang. dæmones in simulacris interrogatos sœpe mentiri, et quidem coactos a curiosis hominibus, fateri se respondere vera nescire. Et sane si scivissent dæmones Christum esse Dei Filium, nunquam impulissent Judeos ad ipsius necem. Ratio vero est, quia non penetrant cogitationes nostras. Præsumunt denique scire, quod nec ipsi homines, quibus divinant, de se præsciunt futurum. Nescit enim homo qui cras facturus sit, et mutat in momenta fere sua proposita, mutaturque insuper a Dei inspirationibus et aliorum consiliis. At isti volunt sœpe prædicere audentque, qui sit futurus s. pontifex; cum hæc electio a plurimis consensu constet, quorum omnium horoscopos scire deberent. Item quando bellum et inter quos futurum, cum hoc pendeat ab electione similiter plurimis. Rursum quis eventus futurus sit civitatis, cum ædificatur; ut Romæ fecit Tarutius, apud Plut. in Romulo. Præsagiunt diem judicii, qui tamen Scriptura teste, omnibus est absconditus.

II. Fuit stultus. Quid enim stultius, quam velle Deo esse similem? Unde sentiunt theologi, Luciferum hoc revera non appetuisse, nec adeo desipuisse; sed voluisse tantum esse a Deo independentem. Jam vero stultissimum est, velle ex astris prænosses ventura circa homines. Nam:

Primo, nesciunt astrologi illi, saltem perfecte, singularum stellarum virtutes in sublunaria. Nesciunt situm siderum, cum perpetuo varient, et situm rapidissimo motu mutent. Sol enim uno quadranti percurrit trecentum millia fere millaria. Unde usque hodie nondum deprehenderunt punctum æquinoctii veri; consequenter nec cæterorum astrorum situm aut ingressum in certa signa norunt, nec sciunt veram natalis horam, cum horologia fallant.

Secundo, cur astra in ortum potius hominis vires suas exerant, quam in conceptum vel animationem fœtus? Plus enim videntur operari in fœtum, cum primum existit, teste Ptolomæo, I. IV. c. II.

Tertio, cur ex solis fere planetis, et non etiam ex stellis fixis divinant? Hæc enim cum mille et viginti duo sint, quarum singulæ terra globum excedunt, cur non etiam vires suas habeant? Cur non refrangant influentias planetarum? Cur etiam planetæ non agant in reliquam ætatem hominis?

Quarto, cum sol aliaque astra universales tantum cause et indeterminatae sint, sicut brachium ad omnis generis artificia et opificia, labores et opera, vel lumen candelæ; causa etiam particulares cognoscenda sunt, uti subjectum, seu corpus, bene vel male organizatum, ejus qualitas

et compositio. Ad hæc parentum vitia aut virtutes, lac nutricum, sedulitas, victus, labores, sedes et domicilium, consuetudo, magistri, medicamenta, providentia divina, modo puniens peste, fame et bello, modo remunerans, consideranda sunt; denique, aliae potentes constellaciones, non procul dissimilares, aliorum hominem inclinare possunt: ergo nec probabiliter aliquid de hoc colligit potest. Quis autem certi aliquid colligat ex unius voce senatoris, non auditis aliis plurimis? Denique, si vel anni tempestates et frugum proventum prædicere audentque, qui sit futurus s. pontifex; cum hæc electio a plurimis consensu constet, quorum omnium horoscopos scire deberent. Item quando bellum et inter quos futurum, cum hoc pendeat ab electione similiter plurimis. Rursum quis eventus futurus sit civitatis, cum ædificatur; ut Romæ fecit Tarutius, apud Plut. in Romulo. Præsagiunt diem judicii, qui tamen Scriptura teste, omnibus est absconditus.

III. Fuit impius, quia divinæ majestatis reus, cuius coronam pedibus suis subjicere voluit. Genethliaci nihil meliores sunt. Primo, quia christianam religionem evertunt. Primo, dum Ecclesiastum, quæ ipsos reprobat et persequitur, contemnunt: secundo, quia vaticinia prophetarum et Christi enervant, potentissimum fidei nostræ argumentum; possent enim dicere infideles, ea omnia in astris prævisa fuisse a Christo et prophetis: tertio, possent hoc modo impii peccata sua Deo adscribere, si astra inclinarent voluntatem in peccata.

Secundo, quia hominem subjiciunt astris, quæ tam ad servitum hominis creata sunt. Unde Alphonsus Aragonie rex solos astrologos aula exclusit, rex sapientissimus dicens: *Stultos astra regunt, sapientes dominantur astris.* En. Sylv. lib. IV. comment. Ad hæc hominum vitia cœlo adscribi poterunt, ipsique abjicient animum ad ea superanda. Præterea cœlum est causa corporea et materialis: ergo in animam nostram, quæ est spiritualis, agere non potest. Denique, potentia illa siderum vel potest ab homine impediri, ita ut non sequatur effectus, vel non potest. Si potest, ergo sicut effectus est incertus, et potest non evenire, ita prædictio ejus incerta erit: si non potest, ergo nullum est liberum arbitrium.

Tertio, quia providentiam divinam evertunt. Constat enim ex litteris a Deo immitti flagella pro ratione peccatorum, pestem, bella, famem, grandinem: pluere, Deum super unam civitatem, super aliam non pluere, Amos IV. Si autem ista ex astrorum vi proveniunt, frustra adscribuntur providentia divinæ. Neque dicant Deum pro libitu eorum influxus impedire, v. g. ad preces nostras; sic enim essent signa inania et fallacia, quæ tamen a Deo ad eventus præsignificandos esse in cœlo quasi in libro posita contendunt; itaque tunc Deus aut ignorans futurorum, aut fallax esset.

IV. Fuit exitiosus Luciferus; nam in exitium eum impulit. Sic et studium astrologorum perniciosum est. Primo, ipsi metu astrologis, quibus non modo grave peccatum mortale infert, verum etiam sœpe exilium. Certe a sapientibus semper despiciuntur habili et derisi, a terris expulsi, et ob delusiones plexi sunt vel ejecti ex urbibus. Joann. Galeatus Mediolan. dux astrologum, qui ipsi longam vitam prædictum, in malam crucem suspendit, Corozett. de dictis memorat: Barthol. Coelos Bononiensis astrologus a Capono, quem homicidam fore prædictum, in occipito securi percussus periit: Lucas Gauricus a Joan. Bentivolo Bonon. viro principe, quod fatalem ejus horam vulgasset, magnis cruciatibus extinctus est; ut refert meus olim theologiae professor eruditissimus, Alexander de Angelis, in tract. de astrol.

Secundo, consulentibus, qui et ipsi cooperantur et allicit eos ad hoc studium, sicut angeli qui cum Lucifero conspirarunt, proinde etiam ipsi cum duce suo in tartarum dejecti; ut taceant quod deludantur sepe ab illis misere, ut Ludovicus Sforza, dux Mediolan. ut alibi dixi. Committunt ergo peccatum mortale, ut tradit Lucas Pinellus, in spec. confessionis: et colligitur ex tam severis decretis pontificum et canonibus nec non legibus Cæsareis, quibus, sub gravi pena exclusionis a communione fidelium et ab urbibus, ars illa interdictitur. Sane Nicolaus III. Pp. clericum, qui ob furtum consuluit astrologum, per annum suspendit. Ad hæc vel triste est et malum quod prædictum, vel laetum et bonum. Si primum, afferet perpetuum futuri mali metum, et conduplicabit malum: s. secundum, pariet partim impatiens desiderium, partim formidinem mendacis predictionis.

Accidunt etiam cupiditates humanas anxie, sed frustra; causant timores; avertunt a bonis studiis.

Tertiarius, aliis innocentibus, qui in suspicionem venire possunt alicujus criminis patrati, vel patrandi, per tales prædictions, verbi gratia, si prædicant dominum aliquem gladio insidiatoris aut inimici, vel veneno tollendum. Tunc enim ille in suspicionem trahet domesticos suos, vel alios, quicumque ei aliquando adversantur. Sic Valens imper. cum ab astrologis sparsum esset, futurum ei successorem, cuius primæ litteræ essent *theod.* suspectos habuit et occidit omnes Theodoros, Theodulos, Theodosios, adeoque unum Theodosium ex Hispania adductum necavit. Unde parentes filii suis talia nomina dare non sunt ausi, et data mutaverunt, Sozom. lib. VI. cap. XXXV. Sic et Jacobus tertio Stuartus, Scotiæ rex cum audisset ab astrologo sibi a suis cædem im-

minere, omnes propinquos et officiales amovit, et alios ignotos substituit, in tyrannidem degenerans; totumque se voluptatibus dedit, Henniges in geneal.

Quarto, ipsi generi humano. Quis enim plantaret vineas et hortos, quis ædificaret domos, si scirent homines, vel brevi se morituros, vel ea post paucos annos vastanda incendio, bello, grandine, fulmine? Quis coleret agros et vineas, si præsciret eas tempestate vel steriles futuras vel grandine mactandas? Unde viverent pauperes operari? Quodque maximum est, nemo fere ageret bene, aut pœnitentiam ante vicinam mortem. Hac enim de causa voluit Deus incertam nobis esse mortis horam, ut semper vigilaremus bene operando.

V. Addo et hoc (quod in Luciferi conatu non reperio) dolosum et fraudulentum esse astrologorum studium. Primo enim, de imperatoris vita, et reipublicæ statu nihil divinandum præcipit eis Julius Firmicus, quod solus imperator stellarum cursibus non subjaceat, cum tamen mortalium idem sit ortus et interitus. Timent igitur ne non liceat imperatori et reipublicæ gubernatoribus impune mentiri. Deinde de divitiis solum, a quibus lucrum sperant, divinant, de satrapis et heroinis: de plebeis vero et tenuioris fortunæ hominibus nihil dicunt. Similiter et de spiritibus atque animantibus (que tamen longe magis astris subjiciuntur quam homines) de eorum vita et morte, proventu, fecunditate, nihil divinare audiuntur; sed de hominibus tantum, a quibus lucrum sperant.

Ad hæc suas prædictions fere ænigmatice pronunt, per symbola obscura, qua ipsi varie expondere possunt: item per amphibologias et terminos genericos aut dubios: rursum fabricant in cœlo domos, cum nullæ sint, nisi quas ipsi configunt.

Denique, scribit Levinus Lemnius medicus Zarizæus, in lib. de astrologia, tales Ulyssæ calliditate perlustrare regiones omnes et studia populi observare, in quem favor hominem inclinet; qui rumores disseminentur, vel in laudem, vel in probrum cuiusque; que huic regi cum finitimi controversia aut similitates; que sit inter fœderatos conspiratio, inter civiles contentio, inter competitores concertatio: sic illis fere astra minari, aiunt, qui opibus minus valent, qui armorum aut amicorum præsidio destituti, etc. Cumque hujusmodi rerum experientiam compararunt migrant de regione, et scribunt qua alibi, ubi prius fuerunt, vel fiunt, vel facta sunt aut rationabiliter futura putantur.

Verum quis has tales toleret? Impingunt is

CONCIO V. AUCTARIE:

astra, quæ Deus tam longe a nobis removit, et ut servirent nobis, creavit: impingunt in Scripturam sacram: impingunt in ss. canones et jura Cæsarea: impingunt in religionem, in liberum arbitrium, in bonos mores, ne plura dicam. Ju-dicate nunc, auditores, quid cum talibus agendum sit. Nonne cum Lucifero tartarum merentur? Sed mitius agamus, et libros tantum eorum igni demus; ipsos autem salvare conemur, quomo-do S. Augustinus in Psal. LXI. talem salva-vit, ea lege, ut libros genethliacos ante ecclesiam combureret, et pœnitentiam ageret.

CONCIO V.

ANGELORUM LAPSUM TERRIBILIS ERUDITIO NOSTRA.

I. Qui lapsi sunt angeli erant. — II. Nec uni eorum pars. — III. In flagranti delicto mox correpti sunt. — IV. E cœlo in abyssum dejecti. — V. Vita ejecti sunt, ut redire in gratiam nequeant. — VI. Propter unicum peccatum mentale.

THEMA.

Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. XVIII.

Luctuosus, auditores et lamentabilis casus accedit. Rex quidam potentissimus, offensus unico insolenti verbo a tertia parte aulæ suæ, et quidem nobilissima (nimirum a præfecto aulæ, cui adhærebant multi comites et barones, camerarii et consiliarii, dapiferi et ephebi) in tantam exarsit iracundiam, ut eos e conspectu et aula sua continuo exturbarit, in profundissimum ac teterimum carcerem detruserit, variis tormentis illic erueiandos, nec unquam redimendos. Quo animo, quo terrore putatis hoc inaudisse cives, illius regis subditos? Quis neget omnes et singulos hoc severitatis exemplo consternatos, sibi timuisse a regis sui ira, et in posterum cavisse cum omni diligentia, ne vel unico verbo eum offendenter? Ita sane opinor. Quis vero iste rex? Deus omnipotens creator et rex omnium nostrum. Offensus ipse fuit a tertia parte aulæ suæ cœlestis, ab angelorum principe et innumeris aliis ex omnibus eorum choris et ordinibus, cum eo conspirantibus: offensus, inquam, unico insolenti verbo: et reus mox cum suis asseclis, nullo excepto, ecclœ exturbatus, et in profundissimam terræ cloacam, in tartareum carcerem dejectus est, nunquam inde redditurus, sed omni tormentorum genere illic cruciandus. Quid nos ad hoc mortales? An Deum nostrum non timebimus? Non summo studio cavebimus, ne ipsum offendamus? Non

dubito, auditores, nos hoc facturos. Quod tamen ut efficacius fiat, tragicum hoc spectaculum melius considerabimus.

I. Qui lapsi et damnati sunt, angeli fuerunt, præ omnibus creaturis nobilissimæ, et juxta communem patrum sententiam angelorum omnium supremus Lucifer cum adhærentibus sibi; de quo dicitur Job XL. *Ipse est principium viarum Domini*, q. d. prima et præstantissima Dei crea-tura, ut sentit Sanctus Gregorius, in II. Reg. I. IV. cap. 1. Isaia vero XIV. appellatur Lucifer, a stella illa lucidissima, quæ præcedit orientem solem, et sequitur occidentem, quasi ei a latere pro-xime adhærens: *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris?* Denique, Ezech. XVIII. sub typo regis Tyri dicitur de ipso: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus de-core in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pre-tiosus operimentum tuum, etc.* Ergo talis ac tantus cum cohorte sua, non multo inferioris nobilitatis, velut aula Dei cœlestis præfectorum cum illustrissi-mis quibusque ephebis, iram Dei incurrit, et mox posthabita tam excelsæ naturæ præstantia et cum Deo propinquitate, ex aula cœli exturbatus est in carcerae perpetuos, tetterimos et omnibus ærumnis plenissimos. Quis hic non totis artibus contremiscat? Hinc enim Sanctus Petrus, epist. II. cap. II. ita ratiocinatur: *Si Deus angelis peccan-tibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari,* non absolvit sententiam: quia sequelam velut per se claram relinquit; hanc videlicet: multo minus igitur hominibus, ut qui angelis longe inferiores et viliores sunt, parcer: sed in judicium reservabit, cruciandos in tartaro. Quis enim ex plebe non metuat regem offendere, si intelligat proce-res aulæ ob læsam ejus majestatem supplicis enectos esse? *Ulula abies*, inquit Zacharias, cap. XI. *quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt*, hoc est, ulitate senatores, magistratus, mi-nores Jerosolymitæ, quia ceciderunt vestri prin-cipes. Quid nos repescu angelorum, abietes respectu cedrorum, cives respectu principum? Quod si primus locus a lapsu et ira Dei securus non est; quomodo erunt medii et infimi? Lucifer, primus angelorum, cecidit; Saul, primus regum Hebrœorum, reprobatus et damnatus est; Petrus primus apostolorum, cecidit: quis sibi non timebit? Unde, propositis illorum trium exemplis subdit Sanctus Gregorius, lib. IV. in II. Reg. cap. II. *Cautela minorum sit ruina majorum.*

II. Omnes quotquot cum Lucifero conspirarunt vel ejus consilium approbarunt, una cum ipso damnati sunt, nec uni quidem pars; tametsi pars angelorum cum eo cecidisse insinuetur,

IN FESTO S. MICHAELIS ET ANGELI CUSTODIS.

Apoc. XII. *Cauda ejus (draconis) trahebat tertiam partem stellarum, q. d. innumerabilem multitudinem.* Quis hic non exclamat cum propheta, Psal. LXXXIX. *Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare?* *Dexteram tuam sic notam fac*, q. d. voluisti nimirum hoc exemplo severissimi judicii notam facere poten-tiam et justitiam tuam. Etenim principes terræ et duces militiae, quando integra civitas, velut militum legio eis rebellat, non solent plectere omnes rebellionis complices, sed paucos aliquos, ac fere capita et malorum incentores tantum; quia nimirum princeps opus habet subditus, dux militibus. Sic egit Maximianus imp. cum S. Mauritiis legione, quando hac ad illius imperium diis sa-crificare renuit. Praecepit enim primo, ut ex ea decimus quisque gladio feriretur: cumque reli-qui adhuc abnuerent, Maximiani imperio iterum decimati; ac demum, ubi nec sic, qui remanerant, parerent, ejus jussu a toto exercitu obtrun-cati sunt, apud Baron. anno 297. Non sic agit Deus; sed: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*, ait Ezech. XVIII. quia nimirum Deus nemine opus habet. Unde sapienter sacerdotes illi Hebrœorum, manus in cœlum protendentes contra Nicanorem extrema ejus minantem, orant: *Tu Domine universorum, qui nullius indiges, etc.* II. Macch. XIV.

III. In flagranti delicto comprehensi, mox correpti et cœlo ejecti sunt instar fulguris, ut ait Do-minus, Luc. X. *Videbam Satanam sicut fulgor de cœlo cadentem.* Quemadmodum enim fulgor, si lapidem ferat, simul in iuctu oculi et micat et ferit seu fulminat: et sicut iuctu sclopi fragor dum editur, simul homo aut fera sternitur; ita peccantes angelos mox sententia damnationis prostravit et supplicium corripuit. Non datum eis vel minimum resipisciendi spatium; nec admissi intercessores angeloi boni quales admissi et auditii, Moyses pro populo Hebreo prevaricatore, Exodi XXXII. populus pro Jonatha morti adjudicato, 4. Reg. XIV. Poterant angelii illi, absolute loquendo, retractare errorem suum: quia liberi natura, adeoque flexiles sunt, ut evincit Scotus, in II. dist. VI. quæst. II. et Gabriel ibidem, q. 4. art. non tamen ad hoc agendum accepere terminum aliquem; quia nimirum non ex infirmitate aut ignor-antia (ut plerumque nos delinquimus) sed ex certa malitia, adeoque plena voluntate, pecca-runt. Ex quo discimus imprimis quam periculo-sum sit peccare deliberate et dedita opera ex me-ra libidine. Qui enim sic delinquent, merito ti-ment seu repentinum supplicium, seu subtractio-nem gratiae divinæ ad resurgendum necessariæ. Ut enim canem magnum nos invadentem sine

mora impetus baculo aut lapidibus; catellum non item, nisi perget esse molestus; et ut con-tumelias a viro irrogatas mox vindicamus, a pue-ro toleramus: ita et peccata ex malitia merentur celerem pœnam: que contingunt ex ignorantia ant infirmitate, aliquamdiu tolerandum.

Deinde, quantum pondus sit peccati; quod tam robustos spiritus in momento e cœlo depres-sit, seu, ut Sanctus Petrus loquitur, *rudentibus inferni* detraxit in tartarum, tam potenter quam rudentes navim trahunt quocumque et retinent. Hinc profecto jure peccatum toties nominant prophetæ onus; uti Isaías: *Onus Moab, onus Da-masci, etc.* Nahum: *Onus Ninive: Habacuc: Onus quod vidit Habacuc, et alii.* Quin et nos Germani gravia peccata appellamus quasi gravia onera. In vita S. Simeonis Trevirensis monachi refert Ever-Winus abbas Doleiensis, apud Sur. 1. junii, ju-venem ad ejus sancti templum et solemnitatem ascendere voluisse, sed pondere invisibili aggrevatum, pergere non potuisse: impulsum, tractum, ac denique portatum, sed interim magis ac magis gravem effectum, adeo ut a multis viris tolli non posset; donec proposuit per confessionem se conscientiam expiatum. Voluit in hoc ju-vene Deus rudi plebi sensibiliter ostendere, quanta gravitas sit peccati; quo, nisi Dei miseratione peccator sustineretur, utique mox ad inferos de-primeretur, terra dirupta, cum Core, Dathan et Abiron.

IV. E cœlo in abyssum et inferni incendium dejecti sunt: e summo honoris loco ad infimum ignominiae: e pulcherrimis fœdissimi effecti. Terribile severitatis exemplum statuit Assuerus rex Persarum, quando Aman, primum in aula prin-cipem, ob unum delictum ex ipsa regia regioque convivio repente extrahi et rapi jussit in crucem, ad summam ignominiam e summo honore, Esth. VII. Sed parum hoc aut nihil erat ejus respectu, quod Deus statuit in Lucifero, quando eum cum suis e cœli regia trahi jussit ad orcum. Amanis facies a ministris operta fuit, quasi indigni, qui aspicere regem; digni qui oppuleretur tenebris ac confusione; Lucifer etiam vultus oblevatus est, ne videret Dei gloriam: gratia quoque expoliatus, tenebris et horro perfusus est: Aman in altissimam crucem quinquaginta cubitorum extra urbem Susan appensus est; Lucifer ad imum in-fernii detrusus, et ludibrium toto mundi factus: Aman cruci affixus est, ut in ea diutius vive-ret (ut ex simili colligitur, 1. Esdr. VI. § XI.) Lucifer cum suis in ignem injectus, ut in eo semper viveret; neque in crucem actus est, sed in ignem potius, quia sacrilegus erat, ipsam divinitatis coronam sibi arrogans;

itaque pœnam ignis omnium gravissimam commeritus. Ignis ille tartareus quasi animatus tortor et carnifex est peccatorum, minister divinæ justitiae; qui ubicumque peccatum aliquod subolfacit, illuc statim grassari jure suo, et devorare impium vult; adeo ut in cœlum etiam violentas manus injecerit, et prævaricantes angelos inde extraxerit. Tantum igitur malum est peccatum, ut ne in cœlo quidem asylum inveniat contra illum satellitem, qui etiam sacra loca invadit extrahitque reos.

V. Ita e cœlo in abyssum dejecti sunt, ut nequeant inde amplius remeare, aut a peccato suo resipiscere per omnem æternitatem: subtracto nimis eis concursu gratiæ divinae. Ait enim S. Jacobus, *rudentibus inferni* in tartarum detractos, et traditos ad creciatum. Nulla autem ex inferno datur redemptio, fortissimi illi rudentes perpetuo eos alligant; quod enim est mors homini, hoc erat lapsus angelorum: homo ad mortem usque viator est, angelus usque ad lapsum erat. Nec militum, cum enim sint perfectissimæ et intelligentissimæ creaturæ, perfectissima Dei obedientia obstricti sunt; quemadmodum et in bello milites, ut si vel semel unum articulum transgrediantur, statim rei capitum fiant. Hinc ille Atheniensium dux Lamachus castigavit quemdam centurionem, qui deliquerat nescio quid. Et cum ille dixisset: *Non iterum istud committam. Ne possis quidem, inquit, in bello peccare bis: error enim in bello mors est.* Plut. in regum apophth. Pari ratione error in angelis mors est. Sunt enim ipsi Dei milites strictissimæ alligati observantiae, velut ejus milites, qui pro Dei gloria potentissime pugnant. Unde eorum exercitus appellatur *militia caelestis*, Luc. II. et *castra Dev*; Gen. XXXII. ipse vero Deus, *Deus sabaoth*, hoc est, *exercituum*. Audiamus unum e dæmonibus hac de re interrogatum a Sancto Bernardo in muliere ab ipso obsessa. Hunc enim cum Papia in Ecclesia S. Syri Bernardus percontatus esset inter alia: *Uude JESUM nosti? Et si unquam eum vidisti?* Vidi inquit. *Ubinam eum vidisti? In gloria. Et tu in gloria fuisti?* Fui quidem. *Et quomodo inde existi?* Cum Lucifero, inquit, multi cecidimus. Hec autem omnia voce lugubri per os vetulæ, audientibus omnibus, loquebatur. Respondente autem S. abbate: *Numquid in illam gloriam redire velles, et restitui in gradum pristinum?* Voce mutata, et miro modo cachinnans: *Hoc, inquit, tardum est.* Et nihil ultra loquens, orante attentius viro Dei, nequissimus ille vietus abscessit. O miseri vos dæmones, quibus redire ad gloriam et cœlum, jam nimis tardum est! Felices contra nos quibus adhuc patet aditus ad gloriam, si tamen intrare in tempore contendimus! Væ

illis, qui cum dæmonibus dicent aliquando: *Nimis tardum est, ad superbos redire.*

VI. Propriez unicum peccatum mentale, seu cogitationem superbam, qua vel appetebat propriis viribus supernaturem beatitudinem, vel eam sprevit, et naturalem suam tantum retinere, vel aliis angelis independenter a Deo imperare voluit, vel, ut alii existimant, unionem hypostaticam ambiit, Christo eam invidens. Quidquid vero illud sit, aliquid Deo soli debitum sibi attribuere, sibi rapere voluit, ad instar alicujus ministri, qui fruges aliumve cibum domino suo debitum, adeoque afferendum, prius ipse vel delibat, vel omnino devorat. Quis vero, hoc auditio, non contremiscat? Ob unicam ambitiosam cogitationem tanti cœli proceres, tanto numero, tantis addicuntur pœnas! Edixerat Saul sub pœna mortis, ne quis militum aliquid gustaret usque ad vesperam: hoc mandatum Jonathas fuit transgressor, sed levissime; virgæ enim suæ apicem intinxit in mel fluenus, applicuitque ori, et mel gustavit. Quod ubi rescutit Saul, filium morti addixit. Ad quod Jonathas: *Gustans gustavi paululum mellis, et ecce ego morior.* Verum intercessit populus, ne pœnas daret Jonathas, 1. Reg. XIV. Vide nunc Luciferum cum cohorte sua. Unica honoris sibi interdicti appetitione jactavit se paulisper, quasi summitate virgæ gustans parum mellis, et ex æternæ morti et stygis incendio adjudicatur: non ex tanto reliquo angelorum numero vel unus est, qui pro reis intercedere, et Deum judicem mitigare audeat. Ubi jam sunt, qui dicere non verentur cogitationes malas parum aut nihil curandas, adeoque a vectigalibus esse liberas? Ubi, qui ob unicum lapsum parum sibi timent, quasi primi errores condonari debeant? Quid vero de illis dicam, qui peccata toties conduplicant? Bene igitur monet Ecclesiasticus, c. XXI. *Fili, peccasti? Non adjicias iterum;* quia scilicet iteratio facit, ut peccatum humanum fiat quasi angelicum, adeoque venia indignum; et tales: *Nonnunquam ita preventiuntur repente Dei furore, ut nec conversio tempus nec beneficium remissionis inveniant,* ait S. Fulgentius, de fide ad Petrum, c. III. Præ ceteris vero fugiamus superbiam, quæ prostravit supremum angelum et cum ipso alios innumeros. Hac de causa Dominus, Luc. XIII. proponit exemplum illud justitiae divinæ de turri in Siloe, quæ casu suo obtrivit homines octodecim, addens: *Si penitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis, q. d. in cautelam vestram id permisit Deus.* Turris erat Lucifer, qui casu suo obtrivit angelos innumerabiles. Casus hic permissus est ad cautelam hominum. Nisi ergo conversi fueritis, omnes similiter peribitis.

IN FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ

EVANGELIUM, JOAN. XV.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit: scitote quia me priorem odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligenter: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, non est servus major domino suo. si me persecuti sunt, et vos persequentur, si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem et locutus fuisse eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, et Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alias fecit, peccatum non haberent. Nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum. Sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.

CONCIONES.

I. QUOMODO DILIGENDUS SIT PROXIMUS.

II. CAUSÆ CUR INIMICI ETIAM DILIGENDI SINT.

III. OSTENDITUR MULIEREM DEBERE ESSE VIRO SUBDITAM.

IV. BONOS CUR HIC TRIBULARI OPORTEAU; SEU TRIBULATIONUM NECESSITAS.

V. MUNDI INGENIUM.

VI. INSTRUCTIO CONFIRMANDI.

VII. DOCUMENTA.

VIII. MYSTERIA.

CONCIONES AUCTARI.

I. QUANDO P'DÆ, SEU CONFESSORES ESSE DEBEAMUS.

II. JUDÆ PROATORI QUI NON ABSIMILES.

III. CUR, QUOMODO ET QUANDO ZELOTÆ ESSE DEBEAMUS.

IV. OBEDIENTIA QUIBUS MAXIME COMMENDATA ESSE DEBEAT.

V. INFERIORES NE DOMINENTUR SUPERIORIBUS.

CONCIO I.

QUOMODO DILIGENDUS SIT PROXIMUS.

I. ORDINATE. — II. SANCTE. — III. EFFICACITER. — IV. GRATIS. — V. INDIFFERENTER. — VI. IN VITAM ÆTERNAM. — VII. IN FINEM ET CONSTANTER.

THEMA.

Hæc mando vobis ut diligatis invicem. Joan. XVI.

In præclaro illo sermone, quem in ultima cœna Dominus habuit ad suos discipulos, et ex quo sumptum est hodiernum evangelium, nihil magis inculcat, quam charitatem mutuam: *Mandatum novum do vobis*, inquit, cap. XIII. Joan. *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos:* et cap. XV. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos:* et paulo post: *Hæc mando vobis ut diligatis invicem.* Hoc vero ideo facit Dominus; quia præceptum hoc est omnium præstantissimum, saluberrimum, quodque ipsi maxime placet, et ex quo vere discipuli ejus esse dignoscimur. « Quemadmodum enim vestes, inquit Chrysostomus, hom. XXXII. in I. ad Corinth. licet aureæ sint, calceamenta aurea, aliud tamen quoddam indumentum requirimus ut regem agnoscamus: purpuram autem et diadema ubi primum intuemur, jam regiæ majestatis signum aliud nullum expectamus: ita sane, cui charitatis diadema incumbit, jam nihil obstat, quominus Christi discipulus vere existimari possit, non nobis solum, sed et impiis: In hoc enim, inquit, cognoscet, quod discipuli mei estis, si dilexeritis invicem. » Sic ille. Et hinc dilectus ille discipulus Christi Joannes, qui hunc sermonem Christi scripsit, memor Dominici præcepti, charitatem mutuam